

sed pro fiducia quæ consolatur & erigit perterrefactas mentes.

Præterea docent nostri, quod necesse sit bona opera facere, non ut confidamus per ea gratiam mereari, sed propter voluntatem Dei. Tantum fide apprehenditur remissio peccatorum ac gratia. Et quia per fidem accipitur spiritus sanctus, iam corda renouantur, & induunt nouos affectus, ut parere bona opera possint. Sic enim ait Ambrosius, Fides bonæ voluntatis, & iustæ actionis genitrix est. Nam humanæ vires, sine spiritu sancto, plenæ sunt impijs affectibus, & sunt imbecilliores quam vt bona opera possint efficere coram Deo. Ad hæc, sunt in potestate diaboli qui impellit homines ad varia peccata, ad impias opiniones, ad manifesta scelera. Quemadmodū est videre in philosophis, q & ipsi conati honeste vivere, tamen id non potuerunt efficere, sed contaminati sunt multis manifestis sceleribus. Talis est imbecillitas hominis, cum est sine fide & sine spiritu sancto, & tantum humanis viribus se gubernat.

Hinc facile apparent hanc doctrinam non esse accusandam quod bona opera prohibeat, sed multo magis laudandam, quod ostendit quomodo bona opera facere possimus. Nam sine fide, nullo modo potest humana natura primi aut secundi præcepti opera facere. Sine fide nō inuocat Deum, à Deo nihil expectat, non tollerat crucem, sed querit humana præsidia, confidit humanis præsidijs. Ita regnant in corde omnes cupiditates, & humana consilia cum abest fides & fiducia erga Deum. Quare & Christus dixit, Sine me nihil potestis facere, Ioan. xv. Et Eccl. ij

Cœlesia